

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0169

0167

0173

0163

0178

0158

0218

0118

0268

0068

0668

Ende

Anfang

158

possunt calorem illum exstinguere, sed calor ipse magis acti-
vus proximas aquas fervidas reddit et inspissat in salque
decoquit. Ideo tota illa aquae copia calidior est, spissior et
salsior caeteris, et perpetua evaporatione fumigat.

Tertia ratio sumitur ex fide catholica, qua credimus, ex-
tremum judicium futurum in valle Josaphat, et damnados
per igneum fluvium ducendos per vallem Gehennae usque in
hunc locum, ibique demergendos in profundum inferni, ut
supra patuit fol. 170. A. B. Ex quo patet, quod ibi est os
inferni, secundum Christianos, quia credimus, infernum esse
in centro terrae, et civitatem sanctam supra in montibus
locatam esse in terrae (B) medio, sicut gentiles et poetae
aestimaverunt, Cretam insulam esse mundi medium et sub ea
esse infernum. Ideo in Ydo monte de Ydolo ibi posito flue-
bant lacrymae usque in infernum, ut patet fol. 17. A. P. II.

Quarta ratio est propter ostensionem singularis displicen-
tiae Domini in odium et detestationem illius nefandissimi vitii
sodomitici, qua locum aeternae amaritudini et sterilitati tra-
didit etc. Propter haec ergo nominatur locus iste multis
nominibus in Scriptura. Dicitur enim mare mortuum, Jos. 3.,
quia ibi Deus peccatores perpetuae morti tradidit, consumens
eos repente per saevam mortem temporalem. Vel mortuum
dicitur, quia nihil in eo vivit, nec pisces ibi possunt vivere,
ut habet Aristot. 2 Meteor. et Magister in Speculo Historiali.
Et non solum nihil in eo vivit, sed si quid vivum injectum
fuerit, non immergitur, sed rejicitur, non vivum autem impo-
situm statim absorbebitur. Hoc probavit Titus imperator, dum
obsideret Jericho, qui, dum quosdam morte plectendos capti-
vos haberet in exercitu, colligavit eos, et projici eos vivos
in hoc mare mandavit, qui ligatis manibus et pedibus super-
nataverunt, nec immergi poterant. Haec Josephus narrat
Lib. V. cap. 9. de bello Judaico. Dicit etiam Magister in
Speculo Historiali, quod navicula vacua vel rebus non ha-
bentibus vitam onerata statim in eo absorbetur, sed navicula
cum hominibus vel animalibus viventibus non immergitur.
Insuper lucerna vacua si injecta fuerit, absorbetur, sed si
cum lumine ardenti immissa fuerit, supernatat, quamdiu

